

hibent. VIRIUM IMBECILLITAS imprimis non admittit
detractionem sanguinis.

Convenit V. S. in adultis non modò, verùm etiam in iunioribus. Ætas florida, ἡ ἡλικίη ἀκμάζουσα, quæ media ætas vocari solet, eligitur ab Hippocrate citatò locò. In Galliâ nulla ratio habetur ætatis, sed pueris ipsisque infantibus demitur sanguis. Senilis ætas, præsertim plethorica, non prohibet detractionem hanc sanguinis.

SEXUS quilibet aptus est ad istam. Locum infimul habet in gravidis, quibus acutò morbò oppressis tutò vena aperiri potest, nullò cum abortus periculò. Moderanda tamen erit *monitore Hipp. 5. aphor. 30.* ne abortus sequatur.

In actu curationis quòvis anni tempore & hora vena aperiri potest. Nullus astrorum positus vel adpectus hinc observatur, sive faustus sit, sive infelix, urgente necessitate nulla legis observatur regula.

Res præter naturam evacuationem hanc indicant, quatenus sanguis peccat ut causa minùs principalis.

CAPUT XL

argumenta contra venæ sectionem allegat, eaquæ rejicit.

IN ardentibus multi abhorrent à venæ sectione, verenturquæ detrahere sanguinem, longiùs à naturâ sanguinis recedentibus humoribus, pro patrociniò suò utentes autoritate *Avicennæ*, qui librò 4. *fen. 1. tract. 2. cap. 43* venam non esse secandam statuit, quia periculum sit, ne fiat ebullitio bilis, quæ si in aliquò morbò metuenda est, omnium maxime in febre ardente, quæ biliosissima est, timendam esse censent.

Alii mediam insistentes viam, quandoque convenire, quandoque non, pro ratione febris, materiæ & virium, asserunt. *Febris ardens exactè exquisita*, hoc est, in intemperie calidâ & siccâ consistens, tempore ætatis, Sirio urente corpora, cælòque calido existente & siccò, in regione calidâ, cœtera-